

910

surrectionis, cum omnibus suis circumstantiis, & beneficiis cognoscamus, & intellectum nostrum hac cognitione luculenter expoliamus. Natura siquidem *stulti* sumus, & *tardi corde*, cæci pariter, quoad intellectum, cum discipulis *Emanuelicis* Luc. XXIV. 25. sed quamprimum *lux cognitionis* oritur in intellectu nostro, statim sic illuminatur. Et ubi lucidissimum *paschale* verbum adhibetur, statim *Spiritus illuminationis* exhibetur, & ipsum *illuminationis* beneficium nobis confertur. Exemplo nobis sunt *discipuli Christi*, quibus talis *illuminatio paschalis* contigit: omnibus autem eadem *illuminatio* contingit, qui similem *praxin* admittunt, vel instituunt. (2) *in frequenti resurrectionis Christi repetitione*: nam repetitio videtur *anima* quasi *memoria*, vel *recognitionis*, prout vulgo dicitur: *Lectio lecta placet, decies repetita placebit*: sicut enim *gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo*; sic etiam *carnalem memoriam*, ad receptionem *paschalis Mnemosophias* prorsus ineptam, vereq; lapideam, *repetitio frequens* mysteriorum paschalium ad receptionem hanc idoneam reddit: (3) *in tenaci memoria fidelis inscriptione*: quando nim. *anima nostra*, verbo DEI sanctificata, *memoria* per Spiritum Sanctum renovata, & *digito DEI*, vel *Spiritu Sancto* per *calamos mysticos, linguas Ministrorum fidelium*, Psal. XLV. 2. *mysteria Victoris paschalis memoriam* firmiter inscripta, sic *Mnemosophia paschalis Memoria* nostræ tenaciter inhaeret, ut inde thesaurum unum post alium depromere, nostrasque devotas animas in his deliciis paschalibus pascere queamus. (4) *in constanti Victoris Resurgentis, & omnium paschalium beneficiorum contemplatione*: Nam, instar *speculi*, *memoria* nostra dicitur, si proinde nullum *Diaboli spectrum*, nulla *peccati larva*, nullum aliud *vanitatis & impietatis idolum*, in nostram *memoriam* intromittitur, sed totum *memoriae speculum* pulcherrima *Victoris paschalis imagine* completur, continuas delicias ex tantæ pulchritudinis contemplatione percipere possumus. Et hoc est, quod *Μνημόνευε Παλιν*, nobis, & omnibus *Christicolis* omni tempore, cum primis paschali, commendat, dum omnibus in *presenti*, *Μνημόνευε*, *Mnemosophias paschalis* perpetuitatem demandat.